

nunquam etiam sine pastore et exercitio religio-  
nis publico, quae tamen ad vniuersalem Eccle-  
siam pertinent et nihilominus ad concilium ne-  
minem mittunt, imo saepe vix concilii notitiam  
habent. Deinde saepe fit, vt sub eo coetu,  
qui ad concilium doctorem mittit heterodoxum,  
lateant multi fideles, quos doctor ille hetero-  
doxus repraesentare non potest. Igitur missi ad  
concilium episcopi referunt tantum maiorem  
Ecclesiae partem, et nonnunquam deteriorem,  
meliore suppressa.

II. *Ex ipsa experientia.* Neque enim vñquam in vni-  
uersali concilio omnes Ecclesiarum visibilium,  
nedum aliarum episcopi conuenerunt, nequidem  
in Nicaeno omnium amplissimo, quippe ex Ro-  
mano tantum imperio euocato.

§. 22. Particularia concilia vel *Quae par-*  
*magis* vel *minus* sunt particularia, pro- *ticularia?*  
ut vel maior vel minor numerus epi-  
scoporum congregatur. Sunt itaque vel *patriar-*  
*chalia*, vel *archiepiscopalia*, vel *nationalia*, vel *pro-*  
*uincialia*, ad differentiam nempe Ecclesiarum par-  
ticularium, quae repraesentantur, de qua diximus  
§. X. cap. X.

§. 23. *Praxis* huius articuli consi- *Praxis ar-*  
stit in admiratione diuinae prouiden- *ticuli.*  
tiae, quae omnia ordine suo disposuit,  
ipsamque Ecclesiam suam latissime per orbem dif-  
fusam in angustum coetum, ad vnitatem eius con-  
seruandam et tollendas dissensiones, cogere potest.  
Quod beneficium grato agnoscere animo et cele-  
rare pro viribus nostris debemus.